

L V S A T I A .

fapius fixit. Tandem vero ad Dominos de Leip-
pe pervenit, atque à Ioanne Lutzbulgico, an-
no 1319 Regno denuo adjuncta. Post illa rursus
tempora obtinuit eam, sive per hæreditatem,
sive per mutationem, Henricus Dux de Iant in
Silesia. Anno autem 1356 pristinam resumpsit
libertatem, reliquisque se sex civitatibus asso-
ciavit sub Carolo IV; siquidem tum temporis
tota regio, una cum prædictis civitatibus, incor-
porata fuit, cum antea non nisi Budissina, Gor-
litzium, Laubanum & Lieba coronæ Bohemæ
subessent.

Laubanum. Laubanum civitas ad confluentes *Altauben* &
Queis sita, ad Silesiam quondam pertinebat, po-
stea vero à Marchionibus Brandenburgensibus
in possessionem accepta, multis privilegiis ab
Ottone anno Christi 1294 donata fuit. Walde-
marus eam anno 1318 muris fossisque circum-
cinxit. Ioannes Bohemæ Rex Gorlicensi adju-
dicavit jurisdictioni, qui simul etiam Gorlicen-
ses & Bauzinentes fines instituit, ad quos ad hæc
usque tempora perseveravit.

Lieba. Lieba, reliquarum omnium antiquissima, no-
men accepit ab aquis Liebecensibus ad quas
posita est; eo fruitur privilegio, ut civitates, si
conventum inter se aliquem proclamant, huc

plerumque conveniant. Maximum damnum
tulit Hussitarum bello, nec minus novissimis
hisce desidiis Bohemicis sustinuit.

Camensum civitas in petris & rupibus sita con-^{Camenz}
spicitur, unde & nomen sortita est, Slavis enim
Camenz lapis dicitur. Anno Christi 1155, cum
misere pene tota incendio periisset, restaurata
fuit. Creditur comitum olim fuisse sedes.

Regio fere tota frumenti rerumque; è terra na-^{Regionis}
scentium feracissima est. Sylvas habet complu-^{qualitas}
res; præcipuæ sunt, *Penzigerheide*, *Laubenerwaldt*,
& *Koningswaldt*. Inter Dominia, maxima & ex-^{Dominia}
cellentia sunt, *Herschafft Mosqua*, & *Hewerswerda*,
cum oppidis ejusdem nominis. Fluviorum, qui
Lusatiam irrigant, princeps *Nissa*, qui in Bohe-
mæ montibus ortus, & *Zittaviam*, *Gorli-*
tium, & *Prybum*, aliasque civitates præterla-
psus in Oderam sese exonerat. Oritur in eisdem
etiam montibus fluvius *Queis*, quem, postquam
Lusatiam hac parte ab inferiori Silesia separa-
vit, Hebrus sive Bober absorbet. Conspicitur
hic etiam fons *Spreba* fluvii, non longe à pago
ejusdem nominis. Lacus habet innumeros, præ-
cipue supra *Gorlitzium*, inter fluvios *Neisse* &
Queis, ex quibus scaturientes fluvioli, incredibi-
le est, quot quantasque agant ferri officinas.

